

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXIV - N. 2

---

1992

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1992

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

|                                                                                                                                                              |     |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Constitutio Apostolica «Fidei Depositum» qua Catholicae Ecclesiae Catechismus<br>post concilium oecumenicum Vaticanum II instauratus publici iuris fit . . . | 191 |
| Litterae apostolicae motu proprio datae de Pensionibus denuo ordinandis . . .                                                                                | 191 |

## ACTA CONSILII

|                                           |     |
|-------------------------------------------|-----|
| Praecipuorum actorum conspectus . . . . . | 196 |
|-------------------------------------------|-----|

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### SECRETARIA STATUS

|                                                                                                                                      |     |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Rescriptum ex Audientia Ss.mi quoad transitum Christifidelis Ecclesiae Latinae ad<br>aliam Ecclesiam ritualement sui iuris . . . . . | 200 |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|

### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

|                                                                                                                          |  |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--|
| Responsio in casu particulari seu «in re peculiari» ad propositum quaesitum de sta-<br>tu libero nupturientium . . . . . |  |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--|

### PAENITENTIARIA APOSTOLICA

|                  |     |
|------------------|-----|
| Dubium . . . . . | 203 |
|------------------|-----|

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

|                                                                                 |     |
|---------------------------------------------------------------------------------|-----|
| I. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis» (Sessio X) . . . .   | 204 |
| II. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis» (Sessio XI) . . . . | 249 |
| III. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis» (Sessio XII) . . . | 265 |
| VI. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis» (Sessio XIII) . . . | 300 |
| Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . .                                  | 351 |
| Notitiae . . . . .                                                              | 353 |

II  
COETUS STUDII  
« DE SACRA HIERARCHIA »

Sessio XI<sup>a</sup>  
(dd. 15-19 mai 1972 habita)

Diebus 15-19 mai 1972, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, Consultores convenerunt Coetus studii « De Sacra Hierarchia », sub directione Rev.mi D. Onclin, Secretarii adiuncti Commissionis. His conventibus intererant Exc.mi quinque et Rev.mi quattuor Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus D. Herranz, a studiis Commissionis. Aberant duo Exc.mi atque Rev.mi duo Consultores.

Rev.mus Secretarius Ad. salutem adstantibus dicit, et incipit disceptatio de quaestionibus hac in sessione pertractandis.

I. ANIMADVERSIONES IN SCHEMATA IAM PROBATA

A) DE PAROCHIS

*Quoad. can. 6 § 2*, proponit Exc.mus primus Consultor ut sequentia verba addantur: «...sive particulari requiruntur; *nam sua cotidiana conversatione et sollicitudine mundo faciem Ecclesiae exhibet ex qua homines vim et veritatem nuntii christiani iudicent* » (Gaudium et Spes, n. 43).

Haec tamen additio plerisque non placet, quia exprimit conceptum mere doctrinalem. Approbant autem omnes ut in nota addatur referentia ad Const. *Gaudium et spes*.

Postulante Rev.mo secundo Consultore, placet ut, in eadem paragrapho, expungatur verbum « insuper ».

*Quoad. canonem 14*, desiderat Exc.mus primus Consultor ut nova paragraphus addatur, sub hoc textu: « In laboris pastoralis exercitio parochus ne obliviscatur missionem Ecclesiae esse spiritu Christi etiam rerum temporalium ordinem perficiendi et nuntium christianum ita praedicet ut omnes fidelium terrestres activitates Evangelii luce perfundantur ». Verba haec non placent, imprimis quia hic conceptus iam exprimitur in § 1 eiusdem canonis; deinde vero ad abusus praecavendos, ne quis scilicet haec verba

intelligat in sensu sic dictae «Theologiae politicae», quasi parochi alique sacerdotes fieri debeant duces ceterorum fidelium in rebus socialibus, politicis et syndicalibus. Proponente vero Rev.mo Secretario Ad. placet ut in § 1 eiusdem canonis 14 haec verba addantur: «...utque spiritu evangelico *in universis suis actionibus* imbuantur».

#### B) DE VICARIIS PAROECIALIBUS

*Quoad canonem 26* proponit Exc.mus tertius Consultor ut expungatur § 1, cuius textus non videtur necessarius. Non concordat tamen Rev.mus secundus Consultor, cui ceteri assentiunt, quia hodie nonnullis in locis laici nominantur ex. gr. «adsistentes paroeciales» et omnia faciunt excepta poenitentia et celebratione Sacrificii Eucharistici. Textus ergo manet.

Manet quoque textus canonis 27, quia non agitur in § 1 de sacerdotibus dioecesanis seu saecularibus et in § 2 de religiosis: etenim § 2 illos quoque sacerdotes saeculares respicit qui membra sunt alicuius societatis clericorum facultate incardinandi a Sancta Sede donatae.

*Quoad can. 28 § 1* desiderat Exc.mus tertius Consultor ut clarius determinentur iura et obligationes; his attentis, placet ut sequentia verba addantur: «...obligationes et iura *praeterquam canonibus huius tituli*, statutis dioecesanis». Postulante vero Rev.mo secundo Consultore, placet ut in § 2, loco «si res ferat», dicatur «ad normam iuris».

#### C) DE VICARIIS FORANEIS SEU DECANIS

*Quoad can. 33 § 2* obiectionem movet Exc.mus tertius Consultor, qui necessarium non existimat ut omnes sacerdotes audiantur. Plerisque tamen Consultoribus placet ut textus maneat. Ad mentem animadversionis Rev.mi secundi Consultoris placet ut in § 1 eiusdem canonis hae emendationes fiant: «Vicarius foraneus, *qui et decanus vel archipresbyter vocatur*, est sacerdos...».

*Quoad can. 37* postulat Rev.mus quartus Consultor ut vicarius rationem reddat quoque de votis laicorum, quia in can. 35 § 1, 1° dicitur vicarium moderari etiam actionem laicorum. Respondet tamen Rev.mus secundus Consultor vota laicorum implicite contineri in votis presbyterorum; adiungit Rev.mus Secretarius Ad. heic agi de actione pastoralis, quapropter sufficere videntur vota presbyterorum. Ut vero textus clarior sit et

alii clerici includantur, praesertim vero diaconi, ubi adsint, placet ut haec emendatio fiat: «...necnon de *condicionibus* votisque presbyterorum *aliorumque clericorum* Episcopo...».

In can. 38 fit emendatio, nempe: «*Vicariatus* foraneus sigillum habeat vicariatus proprium».

#### D) DE ECCLESiarUM RECTORIBUS

*Quoad can. 40 § 2*, Rev.mo secundo Consultori distinctio facienda esse videtur inter ecclesiam ex institutione religiosam sive domui religiosae annexam et ecclesiam quae deinde fit religiosa. Ceteris vero textus placet uti est.

*Quoad can. 43 § 1* placet plerisque ut expungantur verba «comminatis etiam poenis», quia Episcopus potest id facere etiamsi hic explicite non dicatur; Quoad § 2 eiusdem canonis, desiderat Exc.mus tertius Consultor ut expungantur verba «dies ieiunii et abstinentiae», quia poenitentia semper requiritur, sed non necessario sub hac forma. Respondent tamen Rev.mi Secretarius Ad. et quintus Consultor ieiunium et abstinentiam esse formas generaliores in lege statutas, licet Conferentia Episcopalis alium modum determinare valeat: poenitentia enim non tantum interna, sed et externa ac socialis esse debet. Placet vero ut textus ita emendetur: «...dies ieiunii et abstinentiae *aliusve poenitentiae*, aliaque...».

Placet ut maneant cann. 44 et 45, etiam ad vitandos abusos qui hac in re hodie contingunt.

#### II. DE SYNODO DIOCESANA

Attentis iis quae in praecedenti sessione a Consultoribus exposita sunt, Rev.mus Secretarius Ad. adumbratum schema canonum apparavit, quod legitur et omnibus placet uti basis disceptationis. Discussio ergo fit circa singulos canones propositos.

*Can. 1* (CIC, can. 356 § 1)

Hic est textus propositus:

«Synodus diocesana est coetus in quo conveniunt aliqui ex clero populoque christiano Ecclesiae particularis delecti, qui, eiusdem cleri populi

partes agentes, adiutricem praestent operam proprio eiusdem Ecclesiae pastori, Episcopo diocesano, et ad quam pertinet, praesidente quidem et moderante eodem Episcopo, de iis solis quae ad necessitates utilitatesque eiusdem Ecclesiae referuntur agere causis, ad normam canonum qui sequuntur».

Exc.mus tertius et Rev.mus quintus Consultores obiectionem movent adversus verba «ex clero populoque», quia etiam clerici pertinent ad Populum Dei.

Quaerit quoque Exc.mus sextus Consultor ut participatio laicorum non habeatur cum eadem auctoritate quam sacri ministri.

Exc.mus septimus quaerit an verba «partes agentes» idem significant ac «repraesentantes», quod quidem verum non esset. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. verba haec desumpta esse ex ordine Synodi Episcoporum, quae tamen Synodus non repraesentat Collegium Episcopale, sed est tantum eius signum seu imago. Attamen Exc.mus tertius atque Rev.mi secundus et quintus Consultores praeoptant ut, ad confusiones vitandas, alia expressio adhibeatur, quia *partes agentes* intelligi potest ut repraesentatio vel ut actio ex mandato aut delegatione ceterorum fidelium. His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut dicatur: «...in quo conveniunt aliqui ex Ecclesiae particularis presbyterio delecti necnon et eiusdem alii christifideles quidam, qui nomine totius communitatis dioecesanae adiutricem...». Obiectionem iterum movet Rev.mus quintus Consultor adversus expressionem «nomine totius communitatis», quae pariter insinuare videtur ideam repraesentationis: postulat igitur ut dicatur «qui *in bonum* communitatis dioecesanae», quod placet omnibus.

Postulante Exc.mo octavo Consultore, placet ut addatur notio «missionis», quapropter textus ita emendatur: «de iis quae ad propriam *missionem* propriasque utilitates...».

Proponente demum Rev.mo Secretario Ad., expunguntur verba «praesidente quidem et moderante eodem Episcopo», quae non videntur necessaria.

Textus ergo approbatus sic sonat:

«Synodus dioecesana est coetus in quo conveniunt aliqui ex Ecclesiae particularis presbyterio delecti necnon et eiusdem quidam alii christifideles, qui in bonum totius communitatis dioecesanae adiutricem praestent operam proprio eiusdem Ecclesiae pastori, Episcopo diocesano, et ad quam pertinet de iis quae ad propriam missionem propriasque utilitates eiusdem Ecclesiae particularis referuntur agere causis, ad normam canonum qui sequuntur».

*Can. 2 (CIC, can. 356 §§ 1 et 2)*

Hic est textus qui proponitur:

« § 1. Synodus dioecesis in singulis Ecclesiis particularibus celebretur decimo saltem quoque anno; si tamen, iudicio Episcopi dioecisani, adiuncta id suadeant, eius celebratio differri potest, non vero ultra viginti ab anteacta celebratione annos.

§ 2. Si Episcopus plurium dioecesium aequae principaliter unitarum curam habet aut unius curam habet uti Episcopus proprius, alterius vero uti administrator, unam tantum Synodum dioecesanam ex omnibus dioecesibus sibi commissis convocare potest ».

Quoad § 1 proponit Rev.mus quartus Consultor ut Synodus habeatur quinto saltem quoque anno, sed hoc non placet, quia talis norma non est imponenda, licet Episcopus id facere possit, si velit. Exc.mus Sextus Consultor necessariam existimat veniam Sanctae Sedis ad celebrationem differendam ultra viginti annos. Ceteris vero videtur normam generalem in canone statutam iam sufficere.

Quoad § 2 Exc.mus tertius Consultor animadvertit necessitates diversarum dioecesium easdem non esse; textus tamen manet uti propositus erat, quia non statuitur unica Synodus pro diversis dioecesibus, sed affirmatur solummodo Episcopum unam Synodum convocare posse, si quidem id opportunum existimet.

Canon ergo approbatur uti propositus fuerat.

*Can. 3 (CIC, can. 357)*

Hic est textus propositus:

« Synodum dioecesanam convocat eique praeest Episcopus dioecisani, non autem Vicarius generalis nec Vicarius episcopalis sine speciali mandato, nec administrator dioecisani ».

Postulat Exc.mus septimus Consultor ut Synodus ab uno Episcopo dioecisano convocari possit. Hac de re disceptatio habetur, cuius in fine hic textus canonis ab omnibus probatur:

« § 1. Synodum dioecesanam convocat solus Episcopus dioecisani, non autem administrator dioecisani de quo in Can. ... (de sede vacante).

§ 2. Synodo dioecisanae praeest Episcopus dioecisani, non vero, sine speciali mandato, Vicarius generalis nec Vicarius episcopalis ».



*Can. 4 (CIC, can. 358)*

Sic sonat textus propositus:

«§ 1. Ad Synodum dioecesanam vocandi sunt ad eamque venire debent:

1° Vicarii generales et Vicarii episcopales;

2° Canonici Ecclesiae cathedralis;

3° membra Consilii presbyteralis;

4° delegati Consilii pastoralis, ab eodem Consilio eligendi, modo et numero ab Episcopo dioecesano designandis, aut, ubi hoc Consilium non exstet, aliqui christifideles, partes populi christiani Ecclesiae particularis agentes, designandi ratione ab eodem Episcopo determinata;

5° Rector Seminarii dioecesani maioris;

6° Vicarii foranei;

7° unus saltem presbyter ex unoquoque Vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum inibi habent; item eligendus est, pro tempore eius absentiae, alius presbyter qui eiusdem locum sufficiat;

8° Aliqui Moderatores Institutorum perfectionis, sive virorum sive mulierum, quae in dioecesi domum habent, eligendi numero et modo iure particulari determinatis.

§ 2. Ad Synodum dioecesanam ab Episcopo dioecesano, prout id opportunum iudicaverit, vocari possunt alii quoque, sive clerici sive Institutorum perfectionis membra, sive christifideles laici, viri aut mulieres; quibus, perinde ac iis de quibus in § 1, ius suffragii consultivi in omnibus causis competit, nisi episcopus in invitatione aliud expresse caverit.

§ 3. Ad Synodum dioecesanam ab Episcopo dioecesano, si id opportunum duxerit, invitari possunt ut observatores, aliqui ministri aut sodales Ecclesiarum communitatumve ecclesialium quae in plena non sunt cum Ecclesia catholica communione».

Quoad § 1, n° 3 mavult Exc.mus octavus Consultor ut dicatur « delegati Consilii presbyteralis », sed propositio non approbatur. Proponente Rev.mo Secretario Ad. et ad mentem emendationis factae in Can. 1, placet omnibus ut in n° 4 expungantur verba « partes populi... agentes ». Disceptatio quoque habetur num in n° 5 nominandus quoque sit Rector Seminarii minoris, sed non videtur necessarium, quia vocari potest ad normam § 2 eiusdem canonis. Neque placet propositio Rev.mi secundi Consultoris qui suggerit ut in n° 8 addantur Abbates de regimine. Proponente vero Rev.mo nono Con-



sultore, placet ut § 1 his verbis incipiat: «Ad Synodum dioecesanam vocandi sunt *eamque participandi obligatione tenentur*». Claritatis causa, placet emendatio proposita ab Exc.mo septimo Consultore pro n° 7: «...item eligendus est alius presbyter qui, *eodem impedito, eius locum sufficiat*».

Quoad § 2 postulat Rev.mus secundus Consultor ut expungantur verba «prout id opportunum iudicaverit», quod probatur.

Desiderat Rev.mus quartus Consultor ut § 3 expungatur vel saltem modificetur, ad abusus praecavendos. Plerisque tamen placet ut textus maneat, quibus et Rev.mus quartus Consultor accedit.

Textus ergo approbatur uti propositus fuerat, exceptis sequentibus:

«§ 1. Ad Synodum dioecesanam vocandi sunt *eamque participandi obligatione tenentur*:

. . .

4° delegati Consilii pastoralis, ab eodem Consilio eligendi, modo et numero ab Episcopo dioecesano determinandis, aut, ubi hoc Consilium non extet, aliqui christifideles designandi ratione ab eodem Episcopo determinata;

. . .

7° unus saltem presbyter ex unoquoque Vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum inibi habent; item eligendus est alius presbyter qui, eodem impedito, eius locum sufficiat.

. . .

§ 2. Ad Synodum dioecesanam ab Episcopo dioecesano vocari possunt alii quoque, sive clerici sive Institutorum perfectionis membra, sive christifideles laici, viri aut mulieres; quibus, perinde ac iis de quibus in § 1, ius suffragii consultivi in omnibus causis competit, nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit.

§ 3. (uti in textu proposito) ».

*Can. 5 (CIC, can. 359)*

Hic est textus propositus:

«Qui Synodo interesse debent, si legitimo detineantur impedimento, non possunt mittere procuratorem qui eorum nomine eidem intersit; Episcopum vero dioecesanum de eodem impedimento certiores faciant».

Textus probatur, sed, iuxta animadversionem Rev.mi secondi Consultoris, redigendus est numero singulari (Qui Synodo interesse debet... etc.), quod omnibus placet.

*Can. 6* (CIC, can. 360)

Textus propositus sic sonat:

«§ 1. Episcopus dioecesanus, opportuno ante Synodi celebrationem tempore, unam aut plures constituat *commissiones*, quae constare possunt clericis necnon laicis peritis, quarum est res in Synodo tractandas apparare.

§ 2. Curet Episcopus dioecesanus ut, tempore ante Synodi celebrationem opportuno, omnibus qui convocati sunt quaestionum tractandarum schema tradatur».

Paragraphus 1 probatur sed, iuxta observationem Rev.mi secundi Consultoris fit mutatio ordinis, nempe: «...constituat *commissiones*, quarum est res in Synodo tractandas apparare; quae *commissiones* constare possunt clericis necnon laicis peritis».

Paragraphus 2 approbatur uti proposita est, sine ulla animadversione.

*Can. 7* (CIC, can. 361)

Hic textus proponitur:

«Propositae quaestiones omnes liberae adstantium disceptationi, praesidente quidem per se aut per alium Episcopo diocesano, in Synodi sessionibus subiiciantur».

Textus a plerisque probatur, quamvis Rev.mi secundus et nonus Consultores censeant hoc praescriptum non concordare cum can. 3 § 2.

*Can. 8* (CIC, can. 362)

Textus qui proponitur sequens est:

«Unus in Synodo dioecesana legislator est Episcopus dioecesanus, aliis voto tantummodo consultivo gaudentibus; unus ipse synodalibus declarationibus et decretis subscribit».

Postulat Exc.mus tertius Consultor ordinis mutationem, ita ut decreta declarationibus anteponantur, quod ceteris non placet, nam declarationes saepe respiciunt doctrinam.

*Can. 9* (CIC, can. 362)

Hic est textus propositus:

«Quae in Synodo dioecesana promulgentur decreta, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse cavaetur».

Canon approbatur sine ulla animadversione.

*Can. 10 (novus)*

Hic textus proponitur:

«Curet Episcopus dioecesanus ut textus declarationum ac decretorum synodaliū quamprimum communicentur cum Apostolica Sede necnon cum Episcoporum Conferentia regionis».

Obiicit autem Exc.mus tertius Consultor, cui ceteri assentiunt, Sanctam Sedem et Conferentiam Episcopalem non esse collocandas in eadem linea, nam ratio communicationis est diversa. Adiungit quoque Rev.mus secundus Consultor Metropolitanae mentionem faciendam esse, quapropter sequens nova redactio a Rev.mo Secretario Ad. proponitur et ab omnibus probatur:

«Episcopus dioecesanus textus declarationum ac decretorum synodaliū quamprimum communicet cum Apostolica Sede; de iisdem praeterea Metropolitanam necnon Episcoporum Conferentiam regionis certiore reddat.»

*Can. 11 (novus)*

Censet Rev.mus quintus Consultor novum canonem addendum esse, ubi dicatur Synodum dioecesanam intermitteri si Episcopus moriatur vel in aliam sedem transferatur. Adiungit quoque Exc.mus octavus Consultor Episcopum posse quoque Synodum suspendere. His propositionibus accedunt ceteri Consultores atque Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum apparat, qui ab omnibus approbatur:

«§ 1. Episcopo dioecesano competit pro suo prudenti iudicio Synodum dioecesanam suspendere necnon dissolvere.

§ 2. Vacante sede episcopali, Synodus dioecesana ipso iure intermittitur, donec Episcopus dioecesanus qui succedit ipsam continuari decreverit aut eandem extinctam declaraverit».

### III. CONSULTORUM SENTENTIAE EXQUIRUNTUR QUOAD NOVAS QUAESTIONES

#### A) DE SYNODO EPISCOPORUM

Generale habetur colloquium de nova hac quaestione, ut pro proxima sessione Rev.mus Secretarius Ad. apparare valeat canonum schemata.

Legitur imprimis votum scriptum quod misit Exc.mus quidam Consultor qui sessioni interesse non potuit.

Iuxta Rev.mum Secretarium Ad. pauca sunt dicenda de Synodo Episcoporum, quae quidem desumantur oportet praesertim ex Decr. «Christus Dominus» et ex M.P. «Apostolica sollicitudo».

Ad mentem Exc.mi octavi Consultoris haec tractanda sunt: *a)* adunationum species (quae possunt esse generales, extraordinariae et speciales); *b)* modus designandi membra; *c)* Synodi competentia; *d)* ius Romani Pontificis.

Iuxta Rev.mum nonum Consultorem canones similes iis esse debent, qui de Concilio Oecumenico apparantur, cum analogia quaedam vigeat inter haec duo instituta.

Exc.mus octavus Consultor haec adiungit: *a)* in canonibus recipiantur ea tantum quae in Concilio Vaticano II et in M.P. «Apostolica sollicitudo» inveniuntur; *b)* repraesentatio nationum nondum videtur aequa; *c)* affirmandum est membra a munere cessare expleta Synodo; *d)* frequentia Synodorum in codice ne indicetur; *e)* aliquid dicatur de Secretariatu perpetuo Synodi.

Em.mus Card. Praeses oportere existimat ut Codex sobrietatem sapiat in hac materia, cum multae sint questiones adhuc perpoliendae.

Iuxta Exc.mum Tertium Consultorem haec sunt consideranda: *a)* clara definitio Synodi; *b)* de Synodi membris; *c)* de Synodi convocatione; *d)* de indole consultiva Synodi; *e)* de conclusionum confirmatione sive de formis approbationis.

Huic sententiae adhaeret Exc.mus primus Consultor, qui existimat praeterea clare determinanda esse et functionem et valorem documentorum Synodi, relate tum ad Romanum Pontificem tum ad Ecclesiam.

Ad mentem Rev.mi secundi Consultoris duae tendentiae hodie animadvertuntur:

*a)* iuxta M.P. *Apostolica sollicitudo* Synodus est organum mere consultivum, licet eidem quandoque votum deliberativum tribui possit; *b)* iuxta alios quosdam, praesertim theologos, Synodus concipitur ad modum sic dicti parlamenti sive senatus democratici, cum voce quidem deliberativa. His attentis, clare dicendum est quid sit Synodus Episcoporum.

Iuxta Rev.mum quintum Consultorem experientia suadet ut perpauca et magna cum prudentia hac de re exponantur; praeterea in tuto ponenda sunt iura inalienabilia Romani Pontificis neque expedit ut comparatio fiat cum Concilio Oecumenico: sunt enim res diversae. Ad mentem Rev.mi quinti Consultoris Synodi non est decreta apparare quae postea a Summo Pontifice confirmantur, sed tantummodo materiam studii sive informationem praebere.

Exsistimat Rev.mus quartus Consultor Synodum non esse expressionem collegialitatis eoque minus Collegium Episcoporum repraesentare, qua in re omnes Consultores concordant. Censet praeterea Rev.mus quartus Consultor clare determinandum esse quo sensu membra Synodi partes agant Episcopatus, utrum nempe loquantur nomine proprio an nomine respectivae Conferentiae Episcopalis.

Leguntur deinde singulae normae statuatae in M.P. «Apostolica sollicitudo», ad videndum quae praescripta recipienda sint in Codice.

*N. I. a)* expressio «partes agens totius catholici Episcopatus» intelligi potest ac si Synodus repraesentet Collegium Episcopale vel totum Episcopatum, quapropter melius est ut, eius loco, dicatur «in bonum totius Ecclesiae»; loco verborum «natura sua perpetuum», dicendum est «stabiliter erectum», quia verbum «perpetuitas» in iure solummodo adhibetur pro personis moralibus; *b)* potest manere expressio «institutum ecclesiasticum centrale».

*N. II, 1, a).* Melius est ut dicatur «...inter Summum Pontificem et Episcopos», expunctis verbis «totius orbis terrarum», quae intelligi possunt ut exprimentia ideam repraesentationis.

In eodem n. II, 1, *b)*, iuxta Exc.mum sextum Consultorem fortius exprimenda est idea informationis Sanctae Sedi praebendae; praeterea, propo-nente Rev.mo quinto Consultore, cui alii accedunt, placet omnibus ut in n. II, 1, *b)* dicatur: «quae spectant ad vitam internam Ecclesiae eiusque actionem», expunctis verbis «debitam in hodierno mundo».

*NN. III. et IV.* Nulla animadversio.

*N. V.* Post disceputationem placet ut nihil dicatur de periodicitate neque de personis quae Synodo intersunt. Sufficit ut de iis rebus formula generalis adhibeatur, qualis esse potest, ex. gr.: «ad normam legum peculiarium quae Synodum Episcoporum regant».

*NN. VI-X.* Nihil de iis in Codice dicendum est.

*N. XI.* Haec norma recipienda est in Codice, ut confusiones vitentur, formula vero canonis haec esse potest: «Membra, sive de iure, sive electa, sive a Summo Pontifice designata ad normam legis particularis de Synodo Episcoporum ad munus depuntatur; absoluta Synodo a munere ipso facto cessant»;

*N. XII.* Servandus est, sed non placet verbum «perpetuum», quapropter haec aliave similis formula adhibeatur: «Synodus Episcoporum potest habere Secretariatum permanentem seu stabilem, cui praeest Secretarius

generalis, cuique praesto est Consilium episcoporum ad normam legis particularis designatum ».

*Aliae quaestiones quae proponuntur de hac ipsa materia:*

a) ut pateat Synodi functio consultiva, placet omnibus sequens formula: « ad eam pertinet de variis quaestionibus quae proponuntur disceptare et optata promere; non gaudet autem suffragio deliberativo ad dirimendas quaestiones, nisi singulis in causis Romanus Pontifex ei tribuerit ».

b) dicendum est Summum Pontificem Synodo praesidere per se vel per alios.

c) de Synodi cessatione hae formulae placent quoad substantiam: « Sede vacante, ipso facto Synodus Episcoporum dissolvitur » atque « Romanus Pontifex potest Synodum Episcoporum suspendere et dissolvere ».

#### B) DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET PETROPOLITIS

*CIC, can. 271:* potest servari, omissis tamen quaestionibus de praecedentia, de quibus agendum non est in Codice.

*CIC, can. 272:* servetur, sed cum hac emendatione: « ...Metropolita qui est Archiepiscopus... ».

*CIC, can. 273:* expungatur, quia non necessarius.

*CIC, can. 274:* in initio sic emendetur: « In dioecesibus suffraganeis metropolita non gaudet nisi iuribus qui sequuntur ».

n° 1. servetur debite aptatus (nempe « ad officia... »)

n° 2. expungatur.

n° 3. servetur, sed agitur nunc de « administratore dioecetano » (cfr. canones de sede vacante).

n° 4. maneat, sed in primo loco.

n° 5. servetur usque ad verbum « neglexerit », reliqua vero deleantur.

n° 6. servari potest, licet non sit necessarium, usque ad verbum « pontificalia »; reliqua deleantur.

n° 7. pro nunc servetur; postea videbitur de tribunalium ordinatione.

n° 8. servetur.

*CIC, can. 275:* servetur, sed cum emendatione, nempe: « ...a Romano Pontifice petendi pallium, quod signum est communionis provinciae ecclesisticae cum Ecclesia romana necnon auctoritatis metropolitae ».

*CIC, can. 276:* supprimi potest.

*CIC, can. 277:* Consultores non concordant quoad convenientiam servandi hunc canonem.

*CIC, can. 278:* servetur.

*CIC, can. 279:* servetur et prae oculis habeatur responsio S. C. pro Episcopis, prot. 268/70.

*CIC, can. 280:* expungatur, quia nihil de praecedentia in Codice ponendum est.

Animadvertit Rev.mus secundus Consultor hac in materia prae oculis habendas esse normas de Episcoporum electione, quia quaedam praescripta Metropolitae afficiunt.

Ita expleta disceptatione de quaestionibus hac in sessione pertractandis, preces de more dicuntur et huic XI<sup>ae</sup> adunationi Coetus studii «De Sacra Hierarchia» finis imponitur.

Romae, die 19 mai 1972.

I. HERRANZ  
*Actuarius*



**Adnexum****SCHEMATA PROBATA IN XI<sup>a</sup> SESSIONE COETUS  
DE SYNODO DIOECESANA***Can. 1 (CIC 356 § 1)*

Synodus dioecesana est coetus in quo conveniunt aliqui ex Ecclesiae particularis presbyterio delecti necnon et eiusdem quidam alii christifideles, qui in bonum totius communitatis dioecesanae adiutricem praestent operam proprio eiusdem Ecclesiae pastori, Episcopo dioecesano, et ad quam pertinet de iis quae ad propriam missionem propriasque utilitates eiusdem Ecclesiae particularis referuntur agere causis, ad normam canonum qui sequuntur.

*Can. 2 (CIC 356 §§ 1 et 2)*

§ 1. Synodus dioecesana in singulis Ecclesiis particularibus celebretur decimo saltem quoque anno; si tamen, iudicio Episcopi dioecesani, adiuncta id suadeant, eius celebratio differri potest, non vero ultra viginti ab anteacta celebratione annos.

§ 2. Si Episcopus plurium diocesium aequae principaliter unitarum curam habet aut unius curam habet uti Episcopus proprius, alterius vero uti administrator, unam tantum Synodum dioecesanam ex omnibus dioecesibus sibi commissis convocare potest.

*Can. 3 (CIC 357)*

§ 1. Synodum dioecesanam convocat solus Episcopus dioecesanus, non autem administrator dioecesanus de quo in can... (de sede vacante).

§ 2. Synodo dioecesanae praest Episcopus dioecesanus, non vero, sine speciali mandato, Vicarius generalis nec Vicarius episcopalis.

*Can. 4 (CIC 358)*

§ 1. Ad Synodum dioecesanam vocandi sunt eamque participandi obligatione tenentur:

- 1° Vicarii generales et Vicarii episcopales;
- 2° Canonici Ecclesiae cathedralis;
- 3° membra Consilii presbyteralis;

4° delegati Consilii pastoralis, ab eodem Consilio eligendi, modo et numero ab Episcopo dioecesano determinandis, aut, ubi hoc consilium non exstet, aliqui christifideles designandi ratione ab eodem Episcopo determinata;

5° Rector Seminarii dioecesani maioris;

6° Vicarii foranei;

7° unus saltem presbyter ex unoquoque Vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum inibi habeant; item eligendus est alius presbyter qui, eodem impedito, eius locum sufficiat;

8° aliqui Moderatores Institutorum perfectionis, sive virorum sive mulierum, quae in dioecesi domum habent, eligendi numero et modo iure particulari determinatis.

§ 2. Ad Synodum dioecesanam ab Episcopo dioecesano vocari possunt alii quoque, sive clerici sive Institutorum perfectionis membra, sive christifideles laici, viri aut mulieres; quibus, perinde ac iis de quibus in § 1, ius suffragii consultivi in omnibus causis competit, nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit.

§ 3. Ad Synodum dioecesanam ab Episcopo dioecesano, si id opportunum duxerit, invitari possunt uti observatores aliqui ministri aut sodales Ecclesiarum Communitatumve ecclesialium quae in plena non sunt cum Ecclesia catholica communione.

*Can. 5 (CIC 359)*

Qui Synodo interesse debet, si legitimo detineatur impedimento, non potest mittere procuratorem qui eius nomine eidem intersit; Episcopum vero dioecesanum de eodem impedimento certiolem faciat.

*Can. 6 (CIC 360)*

§ 1. Episcopus dioecesanus, opportuno ante Synodi celebrationem tempore unam aut plures constituat commissiones, quarum est res in Synodo tractandas apparare; quae commissiones constare possunt clericis necnon laicis peritis.

§ 2. Curet Episcopus dioecesanus ut, tempore ante Synodi celebrationem opportuno, omnibus qui convocati sunt quaestionum tractandarum schema tradatur.

*Can. 7* (CIC 361)

Propositae quaestiones omnes liberae adstantium disceptationi, praesidente quidem per se aut per alium Episcopo dioecesano, in Synodi sessionibus subiiciantur.

*Can. 8* (CIC 362)

Unus in Synodo dioecesana legislator est Episcopus dioecesanus, aliis voto tantummodo consultivo gaudentibus; unus ipse synodalibus declarationibus et decretis subscribit.

*Can. 9* (CIC 362)

Quae in Synodo dioecesana promulgentur decreta, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse caveatur.

*Can. 10* (novus)

Episcopus dioecesanus textus declarationum ac decretorum synodaliū quamprimum communicet cum Apostolica Sede; de iisdem praeterea Metropolitam necnon Episcoporum Conferentiam regionis certiore reddat.

*Can. 11* (novus)

§ 1. Episcopo dioecesano competit pro suo prudenti iudicio Synodum dioecesanam suspendere necnon dissolvere.

§ 2. Vacante sede episcopali, Synodus dioecesana ipso iure intermittitur, donec Episcopus dioecesanus qui succedit ipsam continuari decreverit aut eandem extinctam declaraverit.